CONCIONES DVÆ apud Academicos OXONII nuper habitæ,

Per

HENRICVM WILKINSONVM,
S. Th: D. & *Aulæ Magdalenæ*
PRINCIPALEM.

Eccles. 9. 12.

Quicquid assequitur manus tua, ut facias, pro facultate tuâ fac: nam nullum est opus, aut ratiocinium, aut scientia, sapientiáve in sepulchro, quo iturus es.

2 Cor. 5. 14.

Ἡ ἀγάπη τοῦ Χριστοῦ συνέχει ἡμᾶς.

OXONIÆ,
Excudebat H. HALL, Academiæ Typographus,
Impensis THO: ROBINSON. 1659.

VIRO ORNATISSIMO

Apprimeque pio

DOCTOQVE THEOLOGO

EDVARDO REYNOLDO,

Ex utraque ACADEMIA *S. Th. D.*

ET

Utrique Ornamento, *Salutes omnes*, Romanam *χαίρειν* Græcam *εὖ πράττειν*, Philosophicam *εὐδαιμονεῖν* *Sive stylo potius Apostolico* *χάριν καὶ εἰρήνην Author* animitus apprecatur.

Vir Colendiffime.

QVandoquidem *ad exemplar* * Evangelistæ, *præfationes nuncupatoriæ antiquam obtinuerint consuetudinem, liceat mihi præ-* *Luc. 1. Act. 1.

fari aliquantillum, rationemque prælibare, quâ adductus Opellam hancce tuo nomini inſcripſerim. Etenim quod ipſum jam de facto *tibi nuncupo,* de jure *debebatur prius. Equidem tot Beneficia pluſquam vulgaria à te Amicorum integerrimo in me collata haud quaquam tacere valeam, quot nominibus me tibi obæratum ſimul ac emancipatum perſentiſcam: Quibus etiamſi vel referendis vel enarrandis omnino impar ſim, tantæque provinciæ haud ſuffecturus: Quid tamen impedimenti inhiberet, quo minus tabulam votivam in ſublime*

sublime suspenderem, ita ut tuorum (meritorum memoria amne Lethæo nunquam eluatur? Nondum sane memoriâ excidit, duobus retro annorum lustris elapsis, (etiamsi tardius aliquantulum tuos calculos ambiverim,) vel duplici suffragio (quod tibi tunc temporis decidere contigerit) me moralis Philosophiæ Prælectorem conscriptum fuisse, & (tutissimum pæne dixerim) cooptatum. Ipse quod non es pollicitus præstitisti, etiamsi nunc dierum polliceantur quamplurimi quod nunquam præstituri. Ex quo tem-

pore satis compertum habui, te (ut * Senecæ verbis utar) esse eundem semper, & in omni actu parem tibimetipsi, à fucis, dolo malo, Amphiboliis longè alienissimum. Quod nostræ opis est, animo perquam grato licebat recolere, & gratias saltem adumbrare effusissimas. Opera à te fæliciter concinnata publici juris facta, (quæ lucernam redolent & limam) vitæ ratio integerrimæ, Acumen singulare, Morum candor amabilis, constansque animi propositum, quæ apud te fixa retinent domicilia, non possim quin summâ vene-

* Sen: Epist. 12.

ratione

ratione ſuſpiciam & deoſcu-
ler----

Semper honos, Nomenq; tu- Virg.
um, laudeſque manebunt.

Conciones haſce cultus & gratitudinis ergò tibi lubens meritóque nuncupandas velim. Argumentum unius eſt Anathema-Maran-atha, *Fulmen ſane Evangelicum, quod contra Chriſti Oſores quam meritiſſime denunciatur. Hanc habui Concionem* pro inchoando Termino, *quemadmodum tute proprio exemplo jamdudum præiviſti, ad inſtar* Iulii Cæſaris *apud*

quem dictum illud: Venite huc *non illud*--ite illuc *in familiarem abierat compellandi formulam. Alterius Argumentum* est, Amor, quo *quisque erga Christum flagrare debet meritissimo. Hanc ad* Baccalaureos *die Cinerum dicto Concionem habui. Quo die concionandi consuetudinem (quæ per aliquot annos cessavit)* D^n *Ford ex Æde Christi.* * *tute restituisti in integrum, & doctissimi Concionatoris labore redivivam effecisti: Nullus dubito quin quicquid, & quantillum fuerit tibi oblatum æqui bonique consulturus sis, Utpote Observantiæ duraturæ Testimonium, quam Author se multum debere*

debere tibi, nec non plurimum debiturum lubentius profite-tur

Tui, tuarúmq; Virtutum Studioſiſſimus.

HENR: VVILKINSONUS.

Oxonii *Dabam ex Aulâ Magdalenæ Martii* 8. 1658.

Ana-

Nuncupatoria.

debere tibi, nec non plurimum
edituros Industrios Profec-
tus.

Tui, quantum Vitu-
tuum Studiosiß.

Hens: V Vtrin'ouus.

Anathema Maran-atha

Adumbratum

In CONCIONE Habita

AD

ACAD: OXON.

Junii 8. 1658. *Pro Inchoatione Termini.*

---

1 Corinth. *cap.* 16. *verſ.* 22.

Εἴ τις οὐ φιλεῖ τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, ἤτω ἀνάθεμα μαραναθά.

Si quis non amat Dominum Jeſum Chriſtum, eſto Anathema Maran-atha.

POlyantheam acuminis cum pietate & bonis literis conjunctam, nemo quiſpiam tot hominum unquam extiterit, qui è Paulinis Epiſtolis facilè eruendam haudquaquam agnoverit. Præ cæteris Epiſtola

ad Romanos, Juſtificationis, Sanctificationis, & Glorificationis doctrinam liquidò indigitat. Utraque ad *Corinthios* Epiſtola & doctrinam complectitur, & diſciplinam. Doctrinam quod attinet (de quâ noſtra res agitur) Paulus Chriſti cognitionem celebrat (utpote quod cognitu præcipuum) & ad cœlum uſque elogiis effert meritiſſimis. Jam ad ſcientiam Chriſti aſſequendam tres iſtos Spiritûs fructus ſalvificos, nempe *fidem, ſpem, & charitatem* ſummis encomiis ornatos dimittit Apoſtolus. Comparatis autem comparandis, Primas defert charitati, quemadmodum videre eſt Gentium facilè Doctorem è Cathedra *determinantem*— [a] *Nunc verò manet fides, ſpes, charitas, tria hæc: maxima autem harum charitas:* Quandoquidem apud Apoſtolum audit charitas virtutum palmaria, haud diffitendum eſt, quin iſta cæteris, ea ratione palmam facile ſit præreptura, ut quæ verſetur circa objectum præſtantiſſimum. Quod ſi charitatis diviſionem prælibemus, ſciendum eſt eam vel Deum reſpicere, vel hominem: Inde ex unius evidentia dignoſcetur & altera. De charitate Deum verſus pergit hodierni diei Inſtitutum. Contrà, Apoſtolus ultimum adverſus eos minitatur fulmen, qui Chriſtum non dilexerint. Siquidem huic Epiſtolæ Coronidem adjecturus, pro more Apoſtolico utitur:

[a] 1 Cor. c. 13. v. 13.

tur ſalutandi formulâ. Qua demum peractâ, Chriſtum quam maximè diligendum imprimis proponit implicitè, deinde contra ejus oſores fulmina explicitè minitatur & tonitrua. Quicquid ipſe aſſeruero, totidem verbis è contextu liquet—*Si quis non amat Dominum Jeſum Chriſtum, eſto Anathema-Maran-atha.*

Duo præ aliis Poriſmata notatu digniora noſtris obverſantur oculis, Quorum primum eſt explicitum, nimirum,

Anathematum maximo devovendos eſſe, quotquot Jeſum Chriſtum non dilexerint. Theſ. 1.

Alterum eſt implicitum, nimirum *Cujuſlibet Chriſtiani quam maximè intereſſe, Jeſum Chriſtum amore proſequi ardentiſſimo.* Theſ. 2.

Prius quod attinet hodiernæ demandatum provinciæ (ut de methodi conſtet ratione dilucidioris) prægeſtit mihi animus quæcunque dicturus ſum quatuor capitibus terminare: ſcilicet imprimis inquirendum eſt, Quid ſit Anathema? Secundo, Quale ſit? Tertio, unde conſtet hoc eſſe Anathematum maximum? Quarto, quid inde è Præmiſſis eliciatur Praxi accommodandum? 1 Quid ſit. 2 Quale ſit. 3 Unde ſit. 4 Applicatio.

Quid sit? Quod spectat ad primum Propositum, Quæruntur Duo seorsim discutienda: Quorum unum est, Quid sit Anathema? Alterum. Quid sit Maranatha? De priore agendum est prius.

Quærenti Quid sit Anathema, (ut isti nodo cuneum adaptemus) in promptu est responsio, istud vocabulum quinquies usurpatum fuisse in novo Testamento. Quod ipsum quoties occurrit, toties innuit modum execrandi gravissimum, ut plenius videre est per instantias assignandas. Cum multo plures quam quadraginta sicarii profligatissimi conjurationem iniissent[b] *se nihil gustaturos, usquequo Paulum interemerint,* dicuntur devotione semetipsos devovisse, ut liquet ipsissima verba consulenti—Ἀναθέματι ἀνεθεματίσαμεν ἑαυτὸς. Quo vocabulo Paulus ex abundanti utitur, ita ut zeli symbolum erga Judæos exhibeat vehementissimi—[c] Εὐχόμην γὰρ αὐτὸς ἐγὼ ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ χριστοῦ, ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου τῶν συγγενῶν μου κατὰ σάρκα---- *Ardentissima hoc* (Calvino Judice) *fuit dilectionis documentum, quod non dubitaret Paulus sibi damnationem imprecari, quam videbat Judæis impendere, quò eos liberaret.* Rursus apud eundem Apostolum idem occurrit vocabulum [d] Διὸ γνωρίζω ὑμῖν ὅτι οὐδεὶς ἐν πνεύματι θεοῦ λαλῶν, λέγει ἀνάθεμα Ἰησοῦ: Perinde ac si dixisset Apostolus (quemadmodum in locum annotavit

[b] Act. 23. 14

[c] Rom. 9. 3.

Calv. in Loc.

[d] 1 Cor. 12. 3.

annotavit doctissimus Pareus) *Vos olim Jesum dicebatis Anathema, id igitur non ex Dei Spiritu, sed ex malo Spiritu feciſtis. Contra nunc Jesum non dicitis Anathema: Id igitur debetis Spiritui Sancto vobis loquenti.* Pareus in Loc.

Duo præterea superſunt loci prioribus affines, scilicet, *Gal.* 1.8,9. [f]Quibus in locis cùm Angeli, tùm homines diro feriendi sunt Anathemate, si aliud Evangelium annunciaverint: In utroque versu concluditur—Ἀνάθεμα ἔστω. [f] *Gal.* 1.8,

Interea sciendum est in locis prius memoratis Ἀνάθεμα cum ε Scriptum fuisse: Cujusmodi Scriptio cum ε apud *Hesychium*, *Budæum*, **Suidam*, cæterosque Criticorum Primipilos in sequiorem partem sumitur. Verum enim vero Ἀνάθημα cum η scriptum, sensum multò meliorem sibi vindicat. Non ego sum nescius apud Thucydidem, Platonem, Suidam, Macrobium & Herodotum Ἀναθήματα *ejusmodi dona significare quæ à columnis templorum suspensa eo ipso à vulgari usu separabantur, ut nefas in posterum esset ea ad humanos usus & profanos convertere.* *Illud significat quod de medio tollendum est, ut nunquam amplius a quoquam conspiciatur. Suidas.

Nec me latet quin apud Strabonem Ἀναθήματα usurpentur pro quibusvis urbis ornamentis, cujusmodi sunt Templa, Basilicæ, Porticus &c. Adhæc apud Homerum passim occurrunt Ἀναθήματα Δαίτῳ.

Hæc autem missa facio, & ad Vocabuli (pro-

ut in contextu memoratur) me accingo enodationem. Præ cæteris puriſſimæ Theologiæ Patrono & vindici haud illibenter adſtipulor (Calvinum intelligo, à me nunquam ſine honore & veneratione nominandum) *Pereant* (inquit) *& exſcindantur qui ſunt Eccleſiæ Peſtes, & ſane nihil hoc hominum genere perniciosius, qui pietatis profeſſione ad pravos ſuos affectus abutuntur.* Idémque Author naris vir emunctiſſimæ ulteriora addit, in hæc verba— *Quum ergo Anathemate damnaſſet Paulus eos, qui Chriſtum non diligunt, rei gravitate commotus, quaſi ſibi non ſatisfeciſſet, vocem addidit inter Judæos vulgarem, & quam adhibebant in ferenda Anathematis ſententia. Quemadmodum ſi latine loquar, ego te excommunico: quod ſi addam, & Anathema pronuncio, expreſſio erit vehementioris affectus.*

Calv. in Loc.

Calv. in Loc.

Hinc liquido conſtat de Excommunicandi poteſtate per mille ſexcentos retro annos, ab Apoſtolorum tempore continuato decurſu ad hæc uſque tempora derivato. Non deſunt (fateor) nonnulli ab Eraſti partibus, Regimini Eccleſiaſtico infenſiſſimi, qui hanc poteſtatem Antichriſti brachium, utpote Romani Pontificis ſuccollatum humeris declamitant, fidentiuſque aſſerunt quod non ante Calendas Græcas unquam probaturi. Quos omnium ſcenarum homines, vel leviuſcula indignos reſponſione

reſponſione autumo, ſed memetipſum eo magis reprimo, quoniam ſatis ſuperque vapulant à Baylæo, & Gilleſpio, Scoto —— Britannis apprime doctis, primíque Subſellii Theologis. Præ cæteris extat aſcriptus Gilleſpio liber feliciſſimâ elucubratus indole, (cui titulus eſt Aaronis virga germinans) quem licet nonnulli arrodant inſtar rabidæ feræ, & tantum non commingere erubeſcant, nemo tamen tot Antagoniſtarum unquam extiterit, qui ſtrenua ab ipſo doctiſſimo Authore emiſſa tela, aut vibrare valuerit, aut retundere.

v. Aaronis virgam germinantem à Gilleſpio concinnatam.

Veruntamen cum hæc ſint ἀναντίῤῥητα, tranſeo ad ſecundi Quæſiti Enodationem, nempe Quid ſit Maran-atha? Nodus ſane videtur mihi vindice dignus ſagaciſſimo, vel Gordiano (ut fertur) multò difficilior, verbi tamen divini gladio ancipiti facile perimendus. Nominis Etymologiã quod attinet, apud Hieronymũ, Auguſtinum, Calvinum, Pareum, Muſculum, Bullingerum, & Junium nullatenus ambigitur, reliquoſque haud infimæ notæ Interpretes, quandoquidem eorum unuſquiſque fidem noſtræ Theſi aſtruit indubiam.

2. Quid ſit Maranatha

Quinqueviri præ reliquis ſpectatæ eruditionis ergô ad noſtras partes accerſendi ſunt. Quorum primus in apricum prodit Hieronymus, qui ad hunc modum in medium profert animi ſui ſententiam — *Maran-atha* (inquit)

Hieron. Epiſt. ad Marcellum 137.

magis

magis Syrum est, quam Hebræum, tametsi ex confinio utrarumque linguarum aliquid & Hebræum sonet, & interpretetur--Dominus noster venit, ut sit sensus, siquis non amat Dominum Jesum Christum, Anathema sit, & illo completo, deinceps inferatur, Dominus noster venit, quod superfluum sit adversus eum odiis pertinacibus velle contendere, quum venisse jam constet. Accersatur secundus Interpres, Drusius, nimirum apud Criticos principale fastigium facilè obtinens--*Anathema* (inquit) *Maran-atha est genus cum suâ specie: nam Anathema nomen est generis, aliquando quod Ebraice Cherem*
Drusius in Loc. *dicitur. Ejus tres sunt species, Niddui, Herem, & Sammatha, quæ hic dicitur Maranatha. Utraque vox sonat--Dominus venit: Maran-Dominus, & Atha venit: Syriacum est sem nomen: Id pro Tetragrammato usurpatur, unde sammatha, Dominus venit.* Accedat tertius Interpres doctissimus Junius in hæc
Junius in Loc. verba, *Nihil* (inquit) *mihi occurrit hactenus magis consentaneum, quam ut his verbis extremi Anathematis formula attingatur, quia extremæ Christi mundi Judicis condemnationi, absq; spe veniæ, addicebatur Peccator.* Succedit quartus Interpres nempe Arias, Mon-
Arias Monta- tanus: Maran-atha *Dominus noster venit* (ut inquit) *ulturus nostram negligentiam, nisi hujusmodi à nobis abjecerimus. Formula est extremæ*

mæ excommunicationis. Perpendite & ſerio vobiſcum reputate (viri, Patres & Fratres) quanti pretii ſit æſtimanda excommunicatio, utut iſtius Diſciplinæ ferulam è Presbyterorum manibus nonnulli plus nimio, aliorum placitis velificantes, extorquere ſategerint. Addatur inſuper(ut pollicitis conſtem) Parei teſtimonium. *Ut* (inquit) *Apoſtolus Chriſti amorem ſummum nobis commendet, in odio Chriſti extremum Anathema conſiſtere affirmat, idque omnibus Chriſtum non diligentibus, non affectu privato imprecatur, ſed Apoſtolico Spiritu denunciat.* Pareus in Loc.

Hiſce prælibatis tranſeo ad alterum caput, quod proximè enucleandum propoſui; Quæritur, Quale ſit iſtud Anathema? Uno verbo dicam iſtud eſſe ſpirituale, & Euangelicum, præ quo graviſſima quæ ſub Lege in monte Ebal denunciabantur, multò inferiora, longéque pacatiora eſſe videantur. Quod autem præ manibus eſt penſum adoriar, modò citius attingam inſtituti noſtri rationem, ad Locum a comparatis eliciendum me illico recepturus, quo pacto iſtius Anathematis cum reliquis in Euangelio memoratis, facta collatione, ipſa veritas clarior illuxerit. 2. Quale ſit iſtud Anathema.

Quinque recenſentur Judicia, ſive Anathemata, quæ & peccata audiunt, & peccatorum ſupplicia, nempe *mens cæca, Peccandi aviditas,*

Spiritus

Spiritus Soporis, Cor durum, & ſpiritus Erroris. Non eſt ut aliquantillum inficiemur, quin magna ſint iſta læſæ majeſtatis Anathemata, at longe gravius cenſendum eſt imò longe graviſſimum eſt illud Anathema, cui Maranatha ſuperadditur.

Ut ſingula ſigillatim perſequar, arrectis auribus quæ haud exigui momenti dicturus ſum accipienda velim.

1. Judicium, Mens cæca

Mens cœca, caligo pluſquam Cymmeria, inter Anathemata haud abs re numerantur. Siquidem Intellectus, oculus iſte interior, tenebris obumbratus nec capit nec ſapit quæ ſunt Spiritus Dei, nec ad eorum cognitionem naturæ viribus ſuffultus exquiſitiſſimis poteſt aſſurgere. Hinc iſta nativa cœcitas tam pœna quam peccatum reputatur. Cujus occurrit mentio apud Chriſtum, è cujus ore duo iſta denunciantur tonitrua Evangelica: Quorum unum videre eſt memoratum apud Evangeliſtam [g] Johannem c. 3. 19. *Hæc eſt autem condemnatio, quod lux venit in mundum, ſed dilexerunt homines potius tenebras quam lucem, quia ſunt eorum mala opera.* Alterum etiam videre eſt apud eundem [h] c. 9. 39. *Et dixit Jeſus ad judicium exercendum ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.* Mentis hebeſcit acies, & caligine offuſcatur intellectus: Magnum ſane hoc eſt

g Joh. 3. 19

h Joh. 9. 39

Impedi-

Impedimentum, quo mens obſtruitur,& quaſi compedibus ligatur, quo minus valeat Evangelii lucem recipere, etiamſi ipſa radios ſuos creberrime diffunderet. Hujus cœcitatis quamplurimos poſtulat Apoſtolus, reoſque acriter perſtringit [i] ἡ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία. Idemque alibi inurit Ethnicos charactere indelebili [k] ἐσκοτισμένοι τῇ διανοίᾳ, & ſic deinceps: Quem Locum perpendenti tria occurrunt. Vocabula notatu digniora, nimirum σκότος, ἄγνοια, ἡ πώρωσις, quæ ſingula ſpiritualem cœcitatem indigitant ab ultrice Dei manu emanantem.

i Rom. 1.

k Eph. 4. 18.

2. Judicium Peccandi aviditas.

Sequitur alterum judicium quod eſt ſpirituale, ſcilicet peccandi aviditas, cum quis totis viribus plenaque voluntate, ſitibundi inſtar aut famelici, in peccandi aſſiduitatem irruit. Quos ſummæ nequitiæ criminatur Dominus [l] *Jer.* 8. v. 6. *Quiſque eorum converſus eſt in curſum, ut equus præceps ruens in prælium.* De equo memorantur ſingularia apud [m] Jobum *Fodiũt pedes in convalle, & lætatur præ virtute, prodiens obviam armis. Ridet pavorem, neque conſternatur, neque revertitur metu gladii, contra ſe ſonante Pharetra, ſplendente haſta & lancea. In fremitu & commotione fodit terram, neque conſiſtit firmus, quum ſonus tubæ editur.* Non majore impetu in pugnam irruunt equi ferociſſimi, quam in quodvis flagitium peccatores conſceleratiſſimi. Clangunt Tubæ, pulſantur Tympana, crepant Bombardæ diſ-

l Jer. 8. 6.

m Job. 39. 24, 25, 26.

ploſæ, cæteráque id genus Tormenta Bellica: Rutilant haſtæ, Gladii, & criſtatæ galeæ: ſagittarum jactus grandinum inſtar emittitur creberrimus. Equi nihilominus pugnam non reformidant in mucronem facile ruituri: Haud diſſimiles ſunt iſti Homunciones profligatiſſimi, quotquot anhelo ſpiritu & fervido deſiderio quodlibet flagitium proſequuntur. Jurgia, ſupplicia, Anathemata haud ullatenus moverant iſtiuſmodî peccatores aſſiduitate peccandi obfirmatos, quo citius pœnitentiam ſeriò agerent, & ad meliorem frugem redirent. Quos cauterio infamiæ inuſtos dimittit Apoſtolus in hæc verba, [n] *Qui poſteaquam dedoluerunt, ſeſe dediderunt laſciviæ ad certatim patrandam impuritatem omnem.* Legimus apud Samuelem populum plus nimio eſurientem [o] *ad prædam contendiſſe, & juvencos ſubrumos cum ipſo ſanguine comediſſe.* Nec ſecus eſuriunt nequam, & quotquot flagitioſiſſimi, quouſque libidinis pruritui ſatisfecerint. Inexplebile eſt carnis deſiderium: Tametſi menſas devoret helluo, & pocula ingurgitet ebrius, nec uni, nec alteri ſatietatem acceſſuram haud veriſimillimum eſt—

n Eph. 4. 19

o 1 Sam. 14 33.

Quo plus ſunt potæ plus ſtiuntur aquæ.

Grande ſane & tremendum eſt judicium, cum primum peccandi aviditas quaſi altera natura, peccatorem abripiat in facinorum flagitioſiſſi-

tioſiſſimorum volutabrum–

3. Judicia Spiritus ſtuporis.

Succedit tertium Judicium, nempe ſpiritus ſtuporis, cujus mentionem fecerit Apoſtolus p *Rom.* 11.8. Hinc brutus ſtupor pervaſit perfrictæ frontis homunciones, quò magis ſtimulis freti virulentis contra veritatem ſemetipſos fidentius armaverint. Quid ſit iſtud judicium, penitius eſt diſpiciendum. Triumvirorum itaque de lumine, ſubacti acuminis Interpretum, reliquum eſt ut noſtrum accendamus. Primus eorum prodeat Calvinus-*Non vertiginis modo ſpiritum vocat, ſed compunctionis, ubi ſcilicet quædam fellis amaritudo ſe prodit, imo etiam furor in reſpuenda veritate. Arcano autem Dei judicio ſic dementari reprobos pronuntiat, ut attoniti nihil prorſus judicent.* Calv. in Rom. 11.8.

Ejuſdem eſt cognationis Parei interpretatio– *Spiritus (inquit) iſte ſtuporis eſt Lethargus profundus, ſenſum omnem animali adimens, qualem immiſit Deus Adamo: Dicitur* πνεῦμα κατανύξεως *quadam Metaphora effectûs pro cauſâ, quia veterno ſepulti & compuncti non ſentiunt, & vix punctionibus excitari poſſunt.* Pareus in eundem Loc.

Tertius ad noſtras partes vocandus eſt Oecumenius, qui compunctionem vocat, *animi ad pejora habitudinem, ſive impermutabilem ipſorum ad malum proclivitatem & conatum.* Oecumen. in eundem Loc.

Cujuſmodi Peccatores ſunt cum fæcibus concreti, quemadmodũ conquerebatur Dominus de Populo

q Hieroſo-

q Zeph. 1. 22. r Jer. 48. 11. q *Hierosolymitano:* cui affinis est altera querela r Jer. 48. 11. *Tranquillus erat Moab â pueritiâ suâ, & super fæces desidebat suas.* Sunt qui in utramvis aurem securi obdormiscunt, impunitatis spe sibimet haud parum adblandientes. Quod crimen admodum grave est, graviorémque contrahit reatum nonnisi supplicio plectendum gravissimo. Unus præ cæteris dabitur Locus, ubi quot verba, tot audiuntur

s Deut. 29. 19. fulmina, s Deut. 29. 19. *Neve sit quum audierit verba adjurationis hujus, ut benedicat sibi cum animo suo, dicendo, pax erit mihi, quum ex sententia animi mei ambulabo, quo addat ebrium sitienti, non acquiescet Jehova aut condonet ei, sed tunc fumante ira Jehovæ, & zelo ejus contra virum illum, incumbet ei omnis adjuratio, quæ scripta est in libro hoc, delebitq; Jehova nomen ejus sub cælo.*

Judicium 4: Spiritus Erroris.

Quartum est judicium Spiritus Erroris: cùm quis quandóque vera pro falsis, & quandóque falsa pro veris amplectitur, spiritu correptus Diabolico, procul dubiò ille luit pœnas gravissimas divinæ vindictæ obnoxius. Sunt qui cuilibet errori manum porrigunt obstetricantem. Hi procudunt nova dogmata, quorum uno dato absurdo mille sequuntur. Apud novatores vœneunt Pestes & Gangrenæ hæresium: quam acriter desudant nullum non moventes lapidem, ut Proselytos ad seipsos pertrahant, tanquam

tanquam oves ad Lanienam. Utcúnque autem juſtiſſimus judex ſuum cuique tribuet, & ſementi meſſem haud diſſimilem admetietur. En rationem ultricis juſtitiæ aſſignatam ab Apoſtolo [t] 2 ad *Theſ.* 2. 10, 11. *Propterea quod amorem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent: Ideo igitur mittet eis Deus efficaciam erroris, ut credant mendacio:* Perpendite quid *Calvinus* in hunc locum annotaverit: *Quemadmodum* (inquit) *ſpiritu ſuo nos intus illuminat Deus, ut efficax ſit apud nos ſua doctrina, oculoſq; & corda nobis aperit, ut illuc penetret: Ita juſto judicio tradit in ſenſum reprobum quos exitio deſtinavit, ut clauſis oculis & ſtupidâ mente quaſi faſcinati Satanæ & ejus Miniſtris ſe fallendos tradant.*

[t] 2 *Theſ.* 2. 10, 11.

Calv. in 2 *Theſ.* 2. 10. 11.

Judicium 5. Cordis obduratio.

Addatur quintum judicium longè maximum, Cordis nempe obduratio. Cùm callum cordi obductum fuerit, & peccandi conſuetudine obfirmatur, tanta acceſſit iſti pectori durities, quantam nec eloqui, nec concipere valeamus. Nec ſilicum nec Adamantum duritiem iſti quovis modo haud ſupparem arbitramur. En Cramben Anathematis Evangelici apud quatuor Evangeliſtas memoratam, nec non apud Acta Apoſtolorum, & Epiſtolam ad Romanos: Quod ipſis terminis terminantibus ab [v] *Iſaia* depromitur. *Tum dixit ito, ut dicas populo iſti: Audite indeſinenter, & ne intelligatis,*

[v] *Iſa.* 6. 9. 10. 11.

tis, & videte indesinenter neq; cognoscatis. Fac ut pingueſcat cor populi istius, & aures ejus fac ingraveſcant, oculiq; ejus fac conniveant, ne videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, ſeq; convertat, & ſanitas obveniat ei. Quanta, heu quanta eſt iſta execratio, cùm Bipedum nequiſſimi corda occalluerint & obduruerint adverſus Evangelii prædicationem! Quàm æquum eſt, ut ultrix Dei juſtitia id genus homunciones, quos terra ſuſtinet, ſceleratiſſimos, calloſis devoveat pectoribus, vel lapide Molendino, vel Adamante multò durioribus.

Et jam ſummatim dicendum eſt, brevi præmiſſarum facta Anacephalæoſi, utpote—— *Mentem cæcam, Peccandi aviditatem, ſpiritum ſtuporis & erroris, cordis obdurationem* ad eos pertinere, iiſque jure peculiari deberi, qui Chriſtum non dilexerint. Triplicem fulminum ſpeciem memorant Philoſophi, quorum unum eſt terebrans, percutiens alterum, tertium urens. Atque fulmina Evangelica (judicia velim Spiritualia) pejus, peſſimè terebrant, percutiunt & urunt. Et eò magis tremenda ſunt, quia animas feriunt Anathemate omnium graviſſimo. Præ cæteris *Maran-atha* Anathemati ſuperadditum, ultimum eſt Fulmen longè maximum.

3. *Unde conſtet Maran-* Quod ut luculentius pateat, operæ pretium erit

erit disquirere (quemadmodum tertio loco demonstrandum proposui) Maran-atha superadditum Anathemati esse omnium maximum. Quicquid hac ex parte dicturus sim, triplici innixum fundamento noveritis. *atha esse Anathematum omnium maximũ.*

Primum est Fundamentum, Væ, Comminationes, Anathemata, quæ sub Evangelio contra Peccatorum maximos denunciantur esse iis multò graviora, quæ sub lege solebant pronunciari. Quod liquidò patet [w] *cap.* 23. *Matthæi* consulenti, ubi quoties *Væ* memoraverit Christus, ibi terrorem audienti toties incutere debuisset. Quo in capite Octuplex Væ (ni malè memini) fulminârit Christus contra Scribas & Pharisæos hypocritas; Sub lege Mosaica maledictus fuit, quisquis [x] *non præstiterit verba legis hujus faciendo ea.* Grave (nec diffiteor) istud erat maledicendi genus, at minoris æstimandum est præ Anathemate Maran-atha in adventum Christi in diem novissimum differendum. *Fundamentum 1.* w *Matth. c. 23.* x *Deut. 27. 26.*

Secundum esto fundamentum— Gravioribus Peccatis graviores de jure deberi pœnas. Peccant nequam sub Evangelii coruscâ luce, misericordiæ, visceribus per Christum patefactis, renitentibus. Non aliâ utar comparatione quam Apostolicâ [y] *c.* 10. ad *Hebræos*, v. 28: 29. [*] *Qui aspernatus fuerit Mosis legem, absq; misericordia, ex duorum aut trium testimonio* *Fundamentum 2.* y *Heb.* 10. 28. 29. * *Si legis contemptoribus sup-*

plicium mortis justè irrogabatur, utiq; supplicium quâvis morte atrocius Apostatæ Evangelii contemptores incurrent. Pareus.

monio moritur: quantò (putatis) acerbiore supplicio dignus censebitur, qui filium Dei conculcârit, & sanguinem fœderis, per quem fuerat sanctificatus, profanum duxerit, & spiritum gratiæ contumeliâ affecerit.

Fundamentum. 3.

Tertium esto Fundamentum, quod ab hoc Anathemate, cui adjungitur *Maran-atha*, ne leviuscula indulgetur libertas aliò provocandi. Siquis legem violaverit, necesse est ut se confestim recipiat ad Evangelium, inibíque Pœnitentiam agat verè Evangelicam, veniæ impetrandæ gratiâ. Quod siquis eo vecordiæ processerit, ut ipsum Evangelium audeat sub pedibus conculcare, nec non Christi Balsama salutifera, expansásque Charitatis manus (quæ nonnisi singularem spirant amorem) summo habere despicatui, absque ulla spe aliò provocandi, non potest non esse miserrimus. Nemini sanè tot ægrotorum vel leviuscula spes unquam affulserit, quotquot pharmaca aspernantur salutifera. Nemo enim Medicorum extat, qui non omnino desperet ejus mederi morbis, qui oblatam sibi fastuosus repudiaverit medicinam. Jam præstolatur adventum præ foribus vestris ipse Christus, quoúsque capilli sint rore madidi, semétque convivarum numero conscribi ipse qui imperare

rare poteſt, rogat amiciſſimus. Quod ſi adhuc ſurdis cecinerit & immorigeris, necnon cordibus obſtipis, malitiâ turgidis, apud quæ ſumma φιλανθρωπία & miſericordiarum θεὸς in caſſum ceſſura ſint, quid inde expectandum foret præter in hodierno ſæculo Anathema, in futuro præſertim *Maran-atha* longè graviſſimum, utpote contra Chriſti intenſiſſimos meritiſſimè fulminandum?

Quod ſupereſt dicendum, duplici Corollario; uno Reprehendendi, Hortandi altero curabo expediendum. Primo & Primi occurrunt Reprehenſionis ſtigmate inurendi, quicúnque Chriſtum non dilexerint. Ipſe licet amet plurimùm, apud pauciſſimos tamen redamatur. Nec ſanè ulli unquam contigerit iſte affectus reciprocus, niſi eodem ab ipſo Chriſto prius imbutus fuerit: Qui etiamſi nullos amantes invenerit, quam plurimos efficit tamen. Veruntamen complures ſummum erga Chriſtum obtentui habèt amorem jactabundi, vel à vitâ Chriſti alieniſſimi. Hinc ex vulgi opinione ad patibulum damnantur, quotquot Chriſtum non amaverint. Utcúnque autem cùm filius hominis advenerit, nullus dubito, quin Amoris æquè ac Fidei defectum apud terræ Incolas reperturus ſit. Quocirca quædam τεκμήρια aſſignanda ſunt Characteriſtica, ita ut faciliùs poſſit —*Digito monſtrari, & dicier hic eſt.*

4. Applic. *Coroll.* 1. *Reprehenſionis.*

Charact. 1. *Meticuloſi non diligũt Chriſtum.*

Primo ex eorum numero reputandi ſunt ad unum omnes Meticuloſi Homunciones, qui Chriſtianorum titulo indigniſſimi, corruptæ tempeſtatis Genio velificantur. Chriſti autem cauſam ejúſque veritatis patrocinium ſuſcipere omnino erubeſcunt. Ubi amor, ibi oculus in objecto amabili acquieſcit. Pylades & Oreſtes mutuæ dilectionis ſpecimen reliquerunt ſingulare poſteris tranſmittendum. Apageſis quiſquis es, qui Chriſtiani geris titulum, ſcandalo autem Crucis perterrefactus, vel ipſi Chriſto nuncium remittere haud verearis. In medium proferam, quod apud *Lutherum* occurrit dictu mirabile. *Impius* (inquit) *ſim, avarus, adulter, imò omnium vitiorum reus, modo impii ſilentii non arguar, dum Dominus patitur.* En Meticuloſos in iſto conſceleratiſſimorum regimine conſcriptos, qui prodeunt primi & inter primos ad Tartara relegandi [z] *Apocalypſeos* cap. 21. v. 8.

Luth. *loc. com.*

z *Apocal.* 21.8.

Charact. 2. *Non diligunt Chriſtum, qui præcepta nõ cuſtodiunt.*

Secundo, nec iſti ullatenus dicantur Chriſtum diligere, quibus nec curæ, nec cordi eſt ipſius præceptorum cuſtodia. Characterem videre eſt ab ipſiſſimo Chriſti ore pronunciatum: [a] *Si diligitis me, præcepta mea obſervate.* Addit etiam v. 21. *Qui habet præcepta mea, is ille eſt, qui diligit me.* Quorſum eſt iſta repetitio? * *Rollocus* apud Scotos apprime pius, & doctus Theologus, rem acu tetigit:

a *Joh.* 14. 15.

* *Rollocus in Loc. Alioqui qui habet et*

Ideo

Ideo (inquit) *digito demonſtrat, quaſi eum hominem qui diligit ſe. Is eſt* (inquit) *qui obſervat mandata mea, dilectio enim cernitur in opere.* Hinc ſatis conſtat eorum unumquémque apud quos Decalogus Oſtraciſmo devovetur inter præcipuos Chriſti Oſores bono jure eſſe pronunciandos.

non ſervat, vel hoc ſigno ſeipſum prodit, quod non diligat Chriſtum, imò quod ſit de gente illa peccatrice, deq;

hypocritis, &c. Ferus in loc.

Tertiò, iſti accedunt cumulo, quicúnque Evangelium Chriſti vel nihili æſtimaverint. Dantur enim haud pauci, qui Evangelium, nec non Legatos Chriſti fideliſſimos inſtar caſſæ nucis reputaverint, novum (quod aiunt) lumen (penè dixerim Ignẽ fatuũ) vel per ſomnia jactitantes. Quos duplici perſtringam Scripturæ teſtimonio. Unum eſt apud Johannem c. 10. v. 27.[b] *Oves illæ meæ vocem meam audiunt.* Alterum eſt apud eundem Evangeliſtam[c] *c. 8. v. 47. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.*

Charact. 3. Non diligunt Chriſtum, qui Evangeliũ nihili æſtimant.

[b] *Joh. 10. 27.*

[c] *Joh. 8. 47.*

Inſuper quicúnque Fratres odio proſequuntur pluſquam *Vatiniano*, & ubicúnque eſt aliquid Chriſti ea propter ſtomachantur magis, irâque excandeſcunt, eos inter Chriſti Oſores haud difficilè numeremus. Procul dubiò à Deo non eſt genitus, quicúnque fratrem odio habuerit. [d] *Manet in morte:* [e] *Homicida eſt:* [f] *Non novit Deum:* [g] *Mendax eſt*, teſte *Johanne*, Diſcipulo illo dilectiſſimo.

Charact. 4. Non diligunt Chriſtum, qui fratres odio proſequuntur.

[d] *1 Joh. 3. v. 14.*
[e] *v. 15.*
[f] *1 Joh. 4. 8.*
[g] *& v. 20.*

Facile esset plura attexere πικμήρια χαρακτηρισμὰ ad ulteriorem veritatis elucidationem: Atqui sisto parumper ad secundum Corollarium Coronidis ergô transiturus.

Coroll. 2. Hortationis. Et jam ad unum omnes à me quàm maximè seriò exorandi estis, ut Jesum Christum amore prosequamini ardentissimo, necnon ad ejus cognitionem instar omnium assequendam anhelo flagretis desiderio. Præ hâc scientiâ sordescunt reliquæ, utpote isti victricem lauream facilè delaturæ. Amorem quod attinet Christi erga nos, et nostri erga Christum, dies me deficeret, priusquam oratio pleniùs enarratura. Quod ipsum ad æternitatem usque perennabit, nonnisi ab ipsis æternæ vitæ comprehensoribus (sicuti par est) pro rei dignitate concipiendum. Idcirco ad Christum aspiremus assequendum, & suspiremus solliciti. Vobiscum reputate serii, nihil esse in Christo, quod non sit amabile. Cujus vultus perquam amabilis; cujus vox quàm mirabili auditorem jucunditate afficit.

Et jam latissimum videor mihi videre dicendi seminarium, quo Concionis jugera facilè locupletarem. Obstupesco autem, attonitúsque hæreo, metu perculsus undiquáque. Quæ dicenda restant, & humanum excedunt captum, & Angelicum. Satius itáque duxi silentii velo obnubilandum, quicquid nostro peni-

penicillo nequaquam poſcit adumbrari.

" Interim in genua provoluti Thronum
" gratiæ quam humillimè interpellemus, ut
" placeat Patri miſericordiarum pro immen-
" sâ ſuâ bonitate hunc nobis infundere ſpiri-
" tûs fructum ſingularem, ita ut Chriſtum am-
" plectamur medullitus, eúmq; ex toto corde,
" ex toto animo, totíſque viribus diligamus.
" Faxit Deus, ut amantem ipſi redamemus
" Chriſtum, nunc & in æternum ejus amoris
" facti, & faciendi participes ad æternitatem
" uſque duraturi.

Jam Trinuni Deo, Patri, Filio, & Spiritui ſancto ſit omnis honos, laus, & gloria, in ſæcula ſæculorum, AMEN.

Amor Christiani

ERGA

CHRISTUM

Adumbratus

In CONCIONE Habita

AD

BACCALAUREOS

Febr: 16. 1658. Die Cinerum dicto.

---

1 Corinth. *cap.* 16. *vers.* 22.

Εἴ τις οὐ φιλεῖ τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, ἤτω ἀνάθεμα μαρὰν ἀθά.

Si quis non amat Dominum Jesum Christum, esto Anathema Maran-atha.

SApientia cælitus delapsa haudquaquam indiget Eloquentiæ vel Ciceronianæ bracteolis, multo minus phalerato sermonum protuberantium apparatu. Quippe quod amictus non nisi matronalis nudæ arridet simplicíque veritati, ut quæ eò clarior affulserit, quo magis nativi splendoris jubare Προλεγόμενα.

bare illustretur. Me quod attinet habetis reum (ni hallucinor) sine reatu confitentem, Flosculos quotquot Rhetoricos, nec non prætumida Oratorum effata Novaturientium, oneri potius quam usui vel ipsis Coryphæis futura, qui cum primum ad seipsos redeant, inani istâ grandiloquentia (quam tantopere deperibant) non tam honoratos quam oneratos compererint. Utinam singuli pro hisce rostris dicturi Phantasiæ plus nimio luxuriantis vitulamina amputarent, ita ut inter precandum & concionandum [a] *expressam formam sanorum verborum* (quemadmodum præmonuit Apostolus) Sanctius retinerent. Quo pacto dediscant tandem, quæ didicisse prorsus dedecet, ut Poetæ verbis utar—

[a] 2 Tim. 1. 14.

* Horat: * *Projicere ampullas & sesquipedalia verba.*

Hæc obiter tetigisse suffecerit, etiamsi experientia compertum sit (Judice Historico) *querelas ne tum quidem gratas futuras, cum sint maximè necessariæ.*

Tit. Liv. in Præfat.

Missa autem longiori præfatione, ad Propositum me accingo. De Fulmine haud ita pridem differuimus Evangelico; Quo tempore, quale quid fuerit Anathema istud, cui Maran-atha superadditur, adumbrare sategimus. Ut ut adumbravimus tantum, utpote (sicuti par esset) tanto Anathemati vel enarrando, vel concipiendo nedum suffecturi. Apud

pud Judæos (ni male memini) in Diverbium abiit, quod *Elias cum venerit, dubium ſolveret.* Nullus equidem dubito, quin cum Chriſtus ipſe in die noviſſimo glorioſus comparuerit, Quid ſibi velit Maran-atha, nobis dilucidius revelaverit. Interea temporis, pro officii ratione unuſquiſque noſtrum Chriſtum (quemadmodum contextus indigitat) amore proſequatur ardentiſſimo. Quid tandem reſtat, niſi ut Chriſto dociles accommodemus aures, eique obſequium præbeamus integerrimum? Quod ipſum eſt cujus Pſalmiſta commonefecerit. [b] *Pſal.* 2. v. 12. *Oſculamini filium, ne iraſcatur.* Quamobrem ne cor filii iracundia exæſtuet, diroque nos feriat anathemate, noſtra intereſt eum derepente utriſque ulnis amplecti, nec non ſumma veneratione ſuſpicere, & deoſculari. Illud eſt quod hodiernæ diei provinciæ demandatur, unici Poriſmatis manipulo perſtringendum, ſcilicet— [b] Pſa. 2. 12

Cujuſlibet Chriſtiani intereſſe,
Chriſtum amore proſequi ardentiſſimo. Theſ.

Quod ſpectat ad pleniorem iſtius Theſeos elucidationem, dicendorum Methodus eſto quinque cancellis circumſcribenda, nimirum Quotuplex ſit? Quid ſit? Quod ſit, Cur ſit, & Quorſum ſit: Quorum priora ſpectant ad partem (quod ajunt) didaſcalicam facem

Methodus
Quotuplex ſit?
Quid ſit?
Quod ſit?
Cur ſit?
Quorſum ſit?

facem accensam contextui prælatura: Ultimum supereſt probandi, & hortandi ergô proponendum, ita ut per modum Corollarii practici, ſingula Auditorum uſui melius attemperentur.

1. Quotuplex ſit.

Ut ordine Methodum propoſitam perluſtremus, obtinuit opinio apud Scholaſticos receptiſſima, dividendum eſſe priuſquam definiendum: Idcirco de Amoris diviſione aliquantulum ſciſcitari, operæ pretium haud abs re futurum arbitror. Diviſit *Aquinas* Amorem in unum *Concupiſcentiæ*, & *Amicitiæ* alterum: Quæ (ut ipſiſſima utar *Aquinatis* diſtinctione) hoc à ſe invicem diſcrimine dignoſcuntur: *Etenim* (inquit) *Amore concupiſcentiæ quis in bonum magis quod alicui vult, fertur, quam in illum, cui vult: ſed amore amicitiæ magis in illum, cui bonum volumus, inclinamur*. Porrò, *Bernardus* duplicis amoris meminit, *Deſiderii* nempe & *Fruitionis*. *Hierotheus* apud *Dionyſium* Amorem partitur in quinque genera, nimirum Divinum, Angelicum, Intellectualem, Animalem, Phyſicum. Haud mihi ocium eſt in iſtius copioſæ nimis diviſionis indagine immorari, præſertim cum ab inſtituti noſtri ratione longe alieniſſimam haud poſſim ullatenus diffiteri. Mallem equidem per Dichotomiam (quæ apud Dialecticos diſtinctionum palmaria exiſtimatur) quod ipſe

Aqu. Qu. 26. Art. 4.

Bern. de Amore Dei c. 3.

ipſe ſentio hac ex parte, in medium propinare. Duplex itaque eſt Amor, Divinus, nempe & Humanus. Divinum quod attinet, *Quis* quæſo immenſum divini Amoris exhauriat Oceanum? Nemo ſanè quiſpiam tot ſubactioris acuminis Oratorum quatuor divini Amoris *dimenſiones* aſſequi valeat vel adumbrare, ad [c] Eph. c. 3. v. 18. Utcunque tamen aliquid (quantillum licet) pro virium noſtrarum modulo dicendum reſtat. Divinus Amor is eſt qui in ipſo Deo, & ipſe Deus eſt. *Quicquid* enim eſt in Deo, eſt ipſe Deus. *Deus eſt Charitas* teſte Apoſtolo [d] 1 *Joh.* 4. 16: Sive loquamur ſubjectivè, ſive effectivè ſive objectivè tantundem valet. *Quippe* quod ipſe Deus eſt fons & origo Amoris, qui ipſius providentiæ gremio fovet, fæcundat, protegitque unamquamque creaturam. Hinc divina providentia ad rerum uſque minima pertingit. Vel ipſa reptilia, Vermiculi, inſectaque quotquot Animalia divini amoris dulcedinem perſentiſcunt. Unde Corvis Volucrum rapaciſſimis ſuppeditatur alimentum, niſi ex immenſa divini Amoris affluentiâ? Alioquin eorum pulli vel in nidis fame abſumerentur. Denique præ cæteris animalibus humanum genus pro comperto noverit, quis, & quantus ſit iſte Amor manu diffuſus adeo liberali: Inſtar omnium Renati, viva ſane Chriſti Corporis

1. Amor divinus.

[c] Ep. 3. 18.

[d] 1 Jo. 4. 16

poris mystici membra, multum in terris Amoris divini Cornucopiam experiuntur, at in cælis plus, plurimum experientur bonitatis solatia nunquam emorituræ.

2. Amor humanus. Sequitur altera species Amoris quæ humana est, ad calculos revocanda: Nec tam humana quam divina est æstimanda, modo in objectũ vergat præstantissimum. Equidem Amorem istum non alia ratione humanum appello, nisi quod homo sit subjectũ *quod*, unde varia istius Amoris in apricum prodeant specimina. Si quidem Amorem homini à Deo esse inditum, nemo est, qui inficias iverit. Amor iste, (etiamsi Homo sit operandi Organum) ab ipso Deo provenit, nec aliunde est mutuatitius, nec aliud præterea reputatur, nisi virtutis divinæ emanatio. Cùm primùm Deum, eiusque Testimonia, cultum sibi debitum, sanctósque amore fervido prosequamur, hæcce omnia accepta Gratiæ Dei (quæ nobis & velle operatur & perficere) referenda esse noverimus.

Et jam hodierni ratio instituti exigit, ut istius Amoris speciem penitiori exploremus scrutinio, quemadmodum pro methodi ratione videre erit proximè enucleandam. Quotuplex sit Amor paucis jamjam expedivimus. Quæritur

2. Quid sit Amor. 2do Quid sit Amor? Quod ut enucleatius expendatur, duplex Quid, cum nominis, tum rei hodierno est examini subjiciendum.

1mo

1mo *Quod* ſpectat ad nominis notationem tria occurrunt notatu digniora quæ nos certiores reddunt de germanâ iſtius vocabuli Interpretatione; *Quorum* duo, videlicet φιλία & ἀγάπη apud ſacram paginam uſitatius uſurpantur: Tertium vocabulum ſcilicet Ἔρως paſſim occurrit apud ethnicos ſcriptores, & nonnunquam apud Eccleſiaſticos. 1. Quid nominis.

Primum quod attinet vocabulum, à quo themate provenit τὸ φιλέω in contextu memoratum, facile eſt inventu apud Herodotum, Thucydidem, & Athenæum, apud quos haud quippiam aliud quam amice tractare, & amicitiæ officia proſequi ſubindicat. Præ cæteris obſervatu digniſſima eſt iſta *Quæſtio* quam Chriſtus Petro propoſuit, ut quæ maximè noſtro inſerviat inſtituto *Joh.* c. 21. v. 17. Σίμων Ἰωνᾶ φιλεῖς με; Nolim plus nimio Criticorum veſtigiis inſiſtere, etiamſi Auguſtinus ipſe diſcrimen conſtituerit inter ἀγαπᾶν & φιλεῖν, quaſi unum altero longe majoris ambitus eſſe videatur. In quantum ipſe capio, accipitote, nempe τὸ φιλεῖν filiorum erga parentes affectum indigitare integerrimum. Et quod huic addi poterit, fortean multo minus eſſe videatur. 1. Φιλία. *Joh.* c. 21. v. 17.

Alterum vocabulum eſt Ἀγάπη. Quod (niſi me meus fefellerit calculus) centies legitur in Novo Teſtamento. Si Etymologiam inſpexerimus 2. Ἀγάπη.

xerimus, ἀπὸ τοῦ ἄγαν ποιεῖν, vel ἄγειν κατὰ πᾶν, vel ἄγαν πάνεσθαι facile erit derivatu. Quamvis nonnulli Apicum Theologicorum curiosi Exploratores latissimam posuerint διαίρεσιν inter amorem, dilectionem, & charitatem, nobis non licet esse tam disertis; præsertim cum nobis abundè constet Christum ipsum, ejúsque Apostolos iisdem plerúmque uti vocabulis, veluti terminis synonimis. Hinc *Suidas*, qui apud Criticos principale fastigium obtinuit, ad scopum proximè collimat. Αγαπᾶν (inquit) ἐστιν ἀρκεῖσθαι τινί, καὶ μηδὲν πλεὸν ἐπιζητεῖν. Jam verò solus ipse Christus cujuslibet explendo sufficit desiderio, qui (ut Philosophicè loquar) est centrum quietativum, quo contenti satis securi acquiescamus.

Suidas.

Addatur insuper tertium vocabulum, quod est Ἔρως, verbum (fateor) maximâ ex parte Poëticum, ut *Hesiodum* cæterósque id genus Poëtas liquet pleniùs consulenti. Ἔρως ἀπὸ τοῦ ἐράειν ab amando Etymon sortitur: etiamsi non desint aliqui, qui ἀπὸ τοῦ εἴρειν à nectendo istius Nominis originem derivarint. Porro toties ὁ ἔρως occurrit apud *Ignatium* Johannis Apostoli (ut fertur) Σύγχρονον, quoties solebant repeti versus intercalares. Siquidem in Epistolam ad Romanos auream istam sententiam pronuntiavit *Ignatius*, & pronuntiatam iterum atque iterum repetiit; puta—ὁ ἔρως ἐμὸς ἐσταύρωται

3. Ἔρως.

Ignat. Ep. ad Rom.

σαίρωτα. Quod sive subjectivè, sive objectivè subintelligatur, utroque sensu vis verborum sarta-tecta permanserit.

Atqui ulteriori nominis notationi haud illibenter supersedeo, ad rem ipsam definiendam quam ocyssimè transiturus. Quæritur itaque secundo, quid sit rei, sive quænam sit Amoris definitio, ut quæ quoad regulam Dialecticam definito competat, ejúsque naturam absorbeat. Quod, ut expeditius peragatur, breviſſimis accipitote. — 2. *Quid rei*

Amoris definitio.

Amor est affectus unionis cum Christo, per quem totus in eum fertur, ipsius gratiâ, in æternum duraturus.

Allubet mihi istius definitionis partes sigillatim percurrere. Quæ definitio constat ex genere & differentia.

1. Affectus supplet vicem generis. Hinc planè exulat, vel ipso Cynico deterior Stoicorum Ἀπάθεια, qui affectus perinde omnigenos graviſſimo indiscriminatim proscribunt ostraciſmo; Sive affectus modum retineant, justósque limites in objectum propendentes præstantissimum, sive Cancellos transiliant omnes, ripásque præterfluant, tantundem valet apud Stoicos unico ictu omnimodos jugulari satagentes. Hinc Stoicorum definitionem haud immeritò repudiamus. Apud quos πάθος definitur esse ὁρμὴ πλεονάζουσα. Cui *Affectus est Genus in definitione.*

definitioni *Lactantius*, *Ambrosius*, *Augustinus*, unà cum *Galeno*, *Seneca*, & *Cicerone*, collatis viribus refragantur. Audiatur à nostris partibus *Bernardus*. *Nihil* (inquit) *aliud est amor, quàm bene ordinata voluntas*. Affectus vel Christo inerant, justissimam tamen retinentes temperiem; quem apud Evangelistam legimus in lachrimas solutum, & deflentem velut filii mortem unigeniti. Necnon Deus pro summâ prudentiâ haud perperam animis nostris indidit heroicorum affectuum igniculos: siquidem eorum suffulti adminiculis, ad præclaras actiones obeundas alacriùs accendamur. Etenim quod ipsum Ventus navigio, Ala volucri, & Aqua rotæ Molendinæ, idem affectuum ministerium nobis usui esse videatur. Cæterùm cùm primum rectæ rationis clavo se excuti patitur, & effrœne imperitat arbitrium, tum in propatulo est affectuum vesania simulac carnificina.

Bern. de Amore Dei.

Hactenus de Genere, sequitur Examen differentiæ in definitione assignatâ, & hæc sumitur quadrifariam.

Diff. 1. Amor est affectus unionis.

Primo dicimus Amorem esse affectum unionis cum Christo. Amorem (inquam) esse affectum unionis constat ex definitione doctissimi *Scaligeri*. Sed cùm Amor uniatur cum objecto præstantissimo, eo majoris esse æstimandum haud abs re autumamus. Enarrârunt

rârunt ſcriptores Ethnici Amicorum paria; nimirum *Pyladis* & *Oreſtis*, *Herculis* & *Theſei*: Magna forſan cenſenda ſint iſta, (in quantum id genus Authoribus adhibeatur fides) majora autem audietis enarranda de ſingulari *Davidis* & *Jonathanis* inter ſe invicem amore, qui ſocias conjunxerunt operas, perinde ac varavibiam complectitur. Hinc dicitur *Jehonathan* cum *Davide pepigiſſe fœdus, eò quod amavit eum tanquam ſeipſum.* [f] 1 *Sam.* 18. 2. [g] Rurſus David *ſurgens è latere meridiano, procidit pronus in terra, incurvans ſe tribus vicibus, & oſculati ſunt alter alterum, fleveruntq; alter cum altero, donec Davidem erexiſſet.* Quandóque contigerit Sauli deſæviente rabie, ut Jonathanis & Davidis corpora ingenti à ſe invicem intercapedine disjungerentnr, veruntamen nec hoc nec illud remoram utríque, vel leviuſculam injecerit, quo minus ipſorum animæ indiſſociabili charitatis vinculo in unum coaluerint. Vel unico momento medium cœli pervolabit charitas, necnon plurium terrarum ſtadia tranſvolabit. Inſuper (quod omnium maximum) audietis inter ſponſum & ſponſam mutuæ dilectionis ſingulare monumentum. Unum præ manibus eſt ſponſæ teſtimonium, *Cant.* 2. 16: *Dilectus meus meus eſt, & ego illius.* Cui affine eſt Pauli alterum ad [h] *Epheſios*, c. 5. v. 32. *Myſterium hoc magnum eſt, loquor autem*

[f] 1 *Sam.* 18. 2.
[g] 1 *Sam.* 20. 41.
[h] *Epheſ.* 5. 32.

autem de Christo & Ecclesia. Hinc liquidò patet membra ad unum omnia corporis mystici, Christo utpote capiti suo fidei vinculo, necnon altero charitatis sibi invicem esse adunata. Ubi istius amoris scintillulam contemplemini, ibi in flammam subinde erupturam noveritis. Quamvis aliquandiu latuit Amor favillis consopitus, posthac illustrior elucebit: obstantia quotquot perrumpet repagula, ut tandem objecto potiatur amabili.

Differ. 2. Secundo dicimus Amorem in Christum ferri totum & integrum. Nonnisi totus Amor Christo arriserit, siquidem dedignatur ille medioximis accenseri, vel in secundis, vel tertiis consistere. Rivalibus, & cordi diviso planè meretricio nuncium remittit Christus non iterum rediturum. Primas proculdubio, imò totum toti, unum uni supremo debemus numini consecrare. Auscultate præceptum & præcepto *Deuteronomii* [1] c. 6. v. 4,5. *Audi Israel Jehova, Deus noster Jehova unus est. Itaq; diliges Jehovam Deum tuum ex toto corde tuo, & ex toto animo tuo, & ex totis viribus tuis.* Haud prætereundum esse censeo *Bernardi* Patris mellisluí testimonium: *Amoris* (inquit) *vel nomen vel affectus nulli competit, vel debetur nisi tibi soli, O vere Amor, & amande Domine.* Hinc de modo diligendi Deum scisitanti respondet idem *Bernardus, Deum diligendum esse*

[1] Deut. 6. 4.5

Bern. de Amore Dei c. 4.

Bern. de diligendo Deo c. 1.

sine

sine modo. Nemo hominum inficiabitur, quin summo sacerdoti Christi typo nequaquam licuerit nuptias inire cum vidua, aut repudiata, aut profanata meretrice. — *Istiusmodi* (ut ex contextu liquet) *ne ducito, sed virginem è populis suis ducito uxorem.* Secundus iste amor qui alteri exhibetur marito, Christo nullatenus satisfecerit: multò minus Meretricis iste, quem ipsa solet inter plurimos partiri Amasios, Christo deferendus est. Amorem solummodo virginalem cordatum, unicum Christo debemus, necnon debere debuisse lubentiùs profitemur. Levit. 21. 14.

Tertio dicimus Amorem Christo sui ipsius gratiâ esse deferendum. En characterem Apostolicum [k] 1 ad *Cor.* c. 13. v. 5. *Non quærit quæ sua sunt, charitas:* Imò quæ Christi sunt quæritat sollicitiùs, nec tam proprio quæstui quàm honori Christi prospicit. Huc spectat definitio Aristotelica nostræ sententiæ ὁμόψηφος — φιλεῖν ἐστὶ τὸ βούλεσθαί τινι, ἃ οἴεται ἀγαθὰ ἐκείνου ἕνεκα, ἀλλὰ μὴ αὐτῷ, καὶ κατὰ δύναμιν πρακτικὸν εἶναι τούτων. Differ. 3. k ad Cor. 13. 5. Arist. Rhetor.

Cui accinuit *Cicero,* — *Quid autem est amare, ex quo amicitiæ nomen ductum est, nisi velle bonis aliquem affici quam maximis, etiamsi ad se ex iis nihil redeat?* Rem acu tetigit *Bernardus* in Libro verè aureo de diligendo Deo. Dubium proponit, & solvit in hunc modum. *Dubitari potest* (inquit) *utrumnam quo suo merito* Cic. de Finibus. Bern. c. 1. de diligendo Deo.

rito Deus, aut certè quo nostro commodo sit diligendus? sanè ad utrumq; idem responderim, non planè aliam mihi dignam occurrere causam diligendi ipsum, præter ipsum. Secus autem omnia versat & præcipitat mundana ἐπιθυμία; Quâcum appositè quadrat censoria Tragici virgula —

Sen. Trag. Med. *--Cæcus est ignis stimulatus ira,*
Nec regi curat, patiturve frænos.

Quid dabitis? quid lucri inde valeamus expiscari, mundi admiratores sciscitantur anxii? Cujusmodi Amor quem obtentui habent homunciones, quotquot lucri appetentes, non tam amicitia audit, quàm mercatura. Ut ut submissas cervices jugo circumcisionis præbuerunt *Schechemitæ*, tamen haud mediocrem inde accessuram utilitatem sibimet pollicebãtur.

l Gen. 34. 23. [l] *Gen. c. 34. 23. Pecus eorum, & possessio eorum, & omnia jumenta eorum, nonne nostra futura sunt?* Quare per totius regionis ambitum turmatim confluxerunt populus ad audiendum Christum? Rationem assignat Christus ipse

m Joh. 6. 26. [m] *Ioh. 6. 26. Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia edistis panes illos, & saturati estis.* Verùm enimvero sincera charitas nec dextrorsum flectit, nec sinistrorsum, sed recta vergit ad Christum amplectendum, cujus amabili vultu amantium quotquot pectora refocillata

cillata acquieſcunt. Hinc germana Chriſti ſoboles Primogenitorum (inquam) familia, Gazophylacium, Cornu-copiam, imò ditiſſima Theſaurorum genera ſibimet pollicentur omnia, quæ in Chriſto noverint eſſe recondita. Ipſa ſibi merces pietas, & ipſe Chriſtus ipſius gratiâ nunquam ſatis eſt diligendus.

Ultima aſſignatur in dictâ definitione differentia, nimirum quod Amor ſit in æternum duraturus. *Charitas nunquam excidit*, teſte Apoſtolo, [n] 1 *Cor.* 13. 8. Nec in cœlis, nec in terris Amor deficit. Poſteaquam Viſionis beatificæ facti ſumus participes, Fides & ſpes evaneſcunt. Patientia nunc dierum doloribus perferendis eſt apprimè neceſſaria. Cùm primùm cœleſtis gloriæ compotes evaſerimus, dolorum ingruentium Iliadibus ne minimus relinquetur locus: Quoniam medica Omnipotentis Dei manus ſingulis medetur morbis, nec aliquantillum indiget noſtræ patientiæ remedio. Jam virtutem charitatis oſtendit conſtantia ad æternitatem úſque permanſura. Hodie premi poteſt charitas, opprimi non poteſt. Ingruunt fluctus pluſquam decumani, ignis iſte nihilo ſecius non extinguitur. Hoſtes licet infenſiſſimi pugnaciter belligerentur, victrix tamen evadit charitas ad inſtar *Joſephi*, de quo *Jacobi* teſtimonium [o] *Gen.* 49. 23. *Quamvis amaritudine affecerint eum, & jaculati ſunt*

Diff. 4.

[n] 1 *Cor.* 13. 8.

[o] *Gen.* 49. 23.

sunt, quamvis intestino odio prosequuti sunt eum sagittarii, tamen permansit in robore arcus ejus. De Palma fertur, quòd quò magis deprimitur, eò magis subinde est emersura. Quinetiam cujusdam plantæ mentionem fecit *Nazianzenus* --- ὅτι θάλλει τεμνόμενον, καὶ πρὸς τὸν σίδηρον ἀγωνίζεται, καὶ θανάτῳ ζᾷ, καὶ τομὴ φύεται. Procul dubio vel depressa resurgit, sibi undiquáque similis, quæ vel perflante Euroclydone, inconcussa retinet domicilia in æternum duratura.

Nazianz.

3. Quod sit probatur.

Hisce prælibatis facite mihi veniam pro methodi ratione probandi Quod sit, quo pacto veritas præfatæ Theseos clarior emicet, & eluceſcat. Duplici inpræsentiarum utar probandi methodo, instar omnium à me solenniter observatâ & observandâ. Prior est è limpidissimo Scripturarum fonte, posterior ex Evidentiâ Rationum haurienda.

a Scripturæ probatur testimonio.

A Priori exordior prius. Quandoquidem divina omnino probent exempla, tametsi humana illustrent tantum, visum est mihi præ cæteris recensere Davidem, sponsam, utrámque Mariam, & Paulum, qui omnes si qui alii amore plusquam singulari erga Christum efferveſcebant.

David.

Imprimis David dulcissimus ille Psaltes Israelis, haud aliquantillum sibi temperare poterat, quo usque exundantem dilectionis copiam in ipsius Dei sinum exonerâsset. En quàm im-

immenſum ad Deum ſuſpirat quaſi *divino percitus æſtro*, veluti abunde liquet Pſalmos ab ipſo concinnatos perluſtranti. Poſteaquam [p] Pſalmi 18 Ἐπιγραφὴν prælibaverat, Dei amore rapiebatur vehementiſſimo *v.* 2.— *Et dixit, ex intimis viſceribus diligam te, Jehova firmitas mea:* Quantoque amore divina proſecutus eſt præcepta, *vel præ auro purgatiſſimo*, conſulenti ſatis patet *v.* 127. *Pſal.* 119. Nec ſibimet ullatenus ſatisfecerit, niſi alios quam plurimos ad Deum diligendum ſecum pertraxerit. Præſto eſt Hortatio affectum plane redolens Davidicum— [q] *Diligite Jehovam omnes, quos benignitate, proſequitur.*

[p] *Pſa.* 18. 2

[q] *Pſ.* 31. 23

Cæterum à *Davide* ad Sponſam tranſeo Amoris ergô in Chriſtum valetudinariam, quemadmodum conſtat ex [r] *Cant.* c. 2. v. 5. Sponſa. *Fulcite me lagenis iſtis, ſuſtentate me iſtis malis: nam ægra amore ſum.* Res adverſæ haud leviuſculo erant ſponſæ impedimento, quo minus ſponſum diligeret. En Dilectionem, quam profitetur fervidam? [s] *Cant.* 3. 1. *In cubili meo per noctes quæſivi eum, quem amat anima mea.* Hinc teſtes ſibi accerſit plurimos [t] *cap.* 5. *v.* 7. *Adjuro vos Hieroſolymitanæ, ſi inveniatis dilectum meum, quid indicaretis ei? Ægram amore me eſſe.* Tota Chriſti deſiderio flagrabat ſponſa; Hinc altum vociferabatur, gradum accelerabat, vicatim ſollicita

[r] *Cant.* 2. 5.

[s] *Cant.* 3. 1.

[t] c. 5. v. 7.

licita scisciscitabatur, nec non ad quodlibet munus obeundum se præbuit paratissimam, modo animæ suæ desiderio potiatur lætabunda. Hinc Amor vel cum primo mobili aliquam refert similitudinem, cujus motu cæteri orbes circumrotantur. Quemadmodum se habet ens respectu Prædicamentorum, haud secus Amor respectu totius Decalogi tantundem valere videatur.

De Stougb. on in Cant. 5. 7.

Accedit altera instantia de utraque Mariâ assignanda. Una erat mater Christi (quam patrum aliqui appellant Virginem Deiparam) quæ quã intimis visceribus Christũ prosecuta est. Altera erat Maria magdalene Peccatricum maxima, è qua Jesus septẽ ejecerat Dæmonia, cujus oculos conspiciamus præ amore madidos, ipsamque lacrymabundam ad hunc modum querelas effundentem [v] *sustulerunt* (inquit) *Dominum, nescio ubi* posuerunt eum. *Illa allato unguento Alabastri, & stans apud pedes ejus retro, flens cæpit lacrymis rigare pedes ejus, & capillis capitis sui extergebat & deosculabatur pedes ejus, & illo unguento ungebat?* [w] *Lucæ* c. 7. v. 37. 38. Unde ex ore Christi testimonium. v. 47. *Cujus rei gratiâ, dico tibi remissa esse multa illa ipsius peccata, nam dilexit multum.*

Maria Mater Christi.

[v] Joh. 20. 13. Maria Magdalene.

[w] Luc. 7. v. 37, 38. v. 47.

Præcedentibus ultima subnectitur Instantia, quæ est Pauli, qui cum primum ipsi lux cœlitus

Paulus.

cœlitus delapsa affulserit, & x *squamæ ejus oculis deciderint*, Christi amore ardebat quam vehementissimo. Siquidem tantos sustinuit labores, tot vigilias, pericula, & naufragia, quot quantisque satis enarrandis nos omnino impares esse haud diffiteamur. Quæritur quod nam fuerit Illicium, Quinam stimulus tantique amoris magnes? Ipsum audite ex animo loquentem y 2 ad *Cor.* c. 5. v. 14. Ἡ ἀγάπη τοῦ Χριστοῦ συνέχει ἡμᾶς. In verbo constringendi, juxta Calvini sententiam occurrit Metaphora, *quâ notatur fieri non posse, quin quisque mirificum illum amorem quem testatus est nobis Christus, morte suâ, vere expendit ac reputat, quasi ei alligatus & arctissimo vinculo constrictus se in illius obsequium addicat.* Τὸ Συνέχει (prout nostrum lumen à Doctissimi Bezæ *lumine accensum accepimus*) *totos possidet, ac regit, ut ejus afflatu quasi correpti agamus omnia.* Quod si ardor iste haud quaquam deferbuerit, venas ocyssime permeabit omnes, nec nostris visceribus ulterius includi poterit, quo minus Dilectionis symbola exerceat erga animæ suæ Delicium optatissimum. Huc spectat quod asseruit Propheta de seipso licet, tamen cuilibet Christum diligenti quam apposite applicandum, z *Jer:c.20.v.9. Si dicam non Commemorabo eum, neque loquar amplius nōine ejus, atqui in animo meo quasi ignis ardens incluſus*

x *Act.9.18*

y 2 ad *Cor.* 5.14. Calv. in Loc.

Beza in Loc.

z *Jer.20.* v.9.

inclusus ossibus meis, & defetiscor sustinendo, nec possum amplius.

Atqui Instantiarum copiæ supersedeo, haud parum veritus ne fuga temporis ansam propositis enucleandis sit præreptura.

4. *Cur sit.*

2 Probatur Thesis rationum Evidentiis.

Transeo itaque ad posteriorem probandi modum, utpote rationum Evidentiis, sive Argumentis à fortiori ciendis communiendum. Triplici tantummodo insistam Argumento, scilicet eruendo à Dignitate objecti, ab excellentiâ subjecti, & ab æquitate unius ad alterum Comparati. Singula, quâ par est brevitate expedienda velim.

Arg. 1. depromitur ab objecti dignitate Cant. 5. 9. 10.

Primum Argumentum ab Objecti dignitate depromitur, Personæ (inquam) longè desideratissimæ. Necesse enim est, ut in Christum fluant refluantque nostræ dilectionis rivuli: Hinc sponsa in Christi erumpit encomia quam effusissima, *Cantic.* 5. v. 9. 10. & sic deinceps — *Dilectus meus candore, & rubore vexillarius est è myriade. Caput ejus, insigne, aurum purgatissimum! Capilli ejus crispis discriminibus nigri, ut corvus &c.* Testor istas comparationes apud sacras literas passim occurrentes, Quod siquid sit quod sit quoad humanum captum in suo genere præstantissimum, de Christo dici multo magis videatur. Verbi gratia *Lapidi* assimilatur Christus [b] *Isaiæ* c. 28. v. 16. *Ecce ego fundamentum posui in Tziione*

[b] *Isa:* c. 28. 16.

ne

ne lapidem: lapidem probationis, angularem pretioſum, fundationem fundatiſſimam. [c] Chriſtus *excitatur Planta ad celebritatem.* Qui dicitur [d] *fons apertus domui Davidis:* [e] μαργαρίτης πολύτιμος. [f] Τιμὴ τοῖς πιστεύουσιν. [g] *Arbor vitæ ferens fructus duodecem per menſes ſingulos edens fructum ſuum & folia ſua ad ſanationem gentium.*

[c] Ezek. 34. 29. [d] Zech. 13. 1. [e] Matt. 13. 45. [f] 1 Pet. 2. 7. [g] Apocal. 22. 2.

Quid plura? Myſterium illud prægrande Dei incarnati, empta nonniſi Chriſti ſanguine reconciliatio, Febricitantium Paralyticorum & id genus Valetudinariorum ſanatio, cum primum fimbriam veſtimenti tetigerint: Et inſtar omnium animarum perquam morbidarum ſanatio, omnia iſta abunde indigitant Chriſti dignitatem præcellentiſſimam.

Arg. 2. depromitur à ſubjecti excellentiâ.

Sequitur ſecundum Argumentum ab excellentia Subjecti, charitatis nempe ex ſe amabilis eliciendum. Quæ cum adeo diffuſa ſit per totum terrarum orbem, tantam ſibi dignitatem vindicat, quanta apud elucubratiſſimas vigilias cum Philoſophorum tum Theologorum ſcripturientium utramvis paginam facile adimpleverit. Mihi vero non eſt otium Philoſophorum placita conſulere, ad aquæ ſalientis fontem lubentius properaturo. Alexander (ut fertur) cum in Sigæo ad Achillis tumulum adſtitiſſet, *O Fortunate (inquit) adoceſcens qui Homerum ſuæ virtutis præconem inveneris,*

Cicero pro Archaia Poeta: *invenerit.* Veruntamen de charitate dicenda sunt, quæ encomiis Homericis mille parasangis antecelluerint. Testor Apostolum[h] 1 Ep: ad *Cor. c.* 13. Quo in capite multa vel paucissimis complectitur partim absolute, partim comparate, charitatem ad cœlum usque elogiis celebrando meritissimis. 1mo Absolute *Paulus* loquitur, styloque utitur flosculis exornato Rhetoricis [i] *v.* 1. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum æs resonans, aut cymbalum tinniens.* Hinc Instantiarum copiâ ex abundanti superadditâ, quicquid asseruerat, statuminat, venas uniuscujusque versiculi permeando. Secundo Claudit capitulum comparate loquendo, & demum primas charitati de jure velit deferendas.[k] *v.* 13. *Nunc vero manet fides, spes, charitas, maxima autem harum charitas.*

h ad *Cor.* c. 12.

1. *Absolute* 1 *Cor.* 13. 1.

2. *Comparate.*

k *v.* 13.

Arg. 3. *ab æquitate desumitur.* Addatur insuper ultimum Argumentum ab æquitate eliciendum. Quod si tria accuratius perpendamus, scilicet Quis sit Amans, Quos, & Quantum amaverit, satis constabit de Argumenti vi validissimâ. Quæritur

1 Quid sit *Amans?* 1mo Quis sit Amans? Respondetur Jesus Christus; Θεάνθρωπος Deus in æternum benedictus, qui & agendo & patiendo amoris specimen exhibuit nobis præcellentissimi: Ille, ille est, qui copiosiorem effudit sanguinis scaturiginem.

ſcaturiginem. Ille ſolus juſtitiæ ultricis [l] *calcavit torcular*: [m] *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis noſtris per ſanguinem ſuum.* Nonne æquum eſt, ut amantem ipſi redamemus? [n] *Nos* (ut inquit Apoſtolus) *diligimus eum, quoniam ipſe prior dilexit nos.* Quod ſuum eſt Chriſtus exigit, charitatem nempe ab ipſo nobis inditam. Idcirco ſummam dilectionem noſtrâ intereſt Chriſto quam meruit exhibere, nec non medullitus diligere diligentem prius. *Quæritur* ſecundo, Quos Chriſtus dilexerit? Et jam Reſponſioni tenebras offundit admiratio. Attoniti hæreamus quotquot viatores nec enarrando, nec ſentiendo ſuffecturi. Utcunque manus auxiliatrices porrigit nobis Apoſtolus ad [o] *Rom.* 5. 8. *Commendat autem ſuam erga nos charitatem Deus, eo quod cum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Quam charitatem [p] *omni notitiâ ſupereminentiorem* judicat Apoſtolus. Trinas ſolummodo dimenſiones memorant Dialectici: Quatuor vero ab Apoſtolo memorantur, videlicet [q] *longitudo, latitudo, profunditas & ſublimitas.* Siccine illuxerunt divini amoris radii? Num miſelli homunciones, [r] *naturâ filii iræ*, ſatanæque mancipia perditiſſima tantæ dilectionis guſtabunt dulcedinem? Quid ni divinæ bonitatis admiratione rapiamur! Quamvis pro meritorum

l *Iſa.* 63. 3.
m *Apocal.* 1. 5.
n 1 *Joh.* 4. 19
2. Quos Chriſtus dilexerit?
o *Rom.* 5. 8.
p *Eph.* 3. 19
q *Eph.* 3. 18.
r *Eph.* 2. 3.

rum ratione, gratiis referendis omnino simus impares, nostrum tamen munus est Christi dilectionem in æternum animo recolere gratissimo.

3. Quantum sit? Tertio Quæritur Quantum dilexerit: Dicendum est cum utroque Johanne, Primo cum Evangelista [r] *Joh.* 3. 16. *Ita Deus dilexit mundum, ut filium suum illum unigenitum dederit*: Rursus [t] c. 15. v. 13. *Majorem charitatem nullus habet, quam istam, ut quispiam animam deponat pro Amicis suis*: Secundo Dicendum est cum Johanne Apostolo [u] 1 Joh. 3. 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis pater, nempe ut filii Dei vocemur. Quam magna est charitas* ita! Junius. Videte *quanta sit charitas*, ut plenius constat ex versionis Æthiopicæ interpretatione.

r Joh. 3. 16.
t Joh. 15. 13.
2.
u 1 Joh. 3. 1.
Junius in Loc. Bibl. Polyglot.

Et jam immensum plane videor mihi contueri Oceanum, cui transfretando nulla in terris suffecerint navigia. O Amorem divinum, Seraphicum, ineffabilem! Heu quantillum istius scientiæ assecuti sumus, plenitudinem nonnisi comprehensoribus relicturi. Interea temporis non contenti acquiescamus eâ quam jam attigimus scientiâ, sed ad perfectionem annitamur.

5. Quorsum sit? Et jam quod supereſt, Quorsum sit (quemadmodum ultimùm proposuimus) usui practico est tempestivè attemperandum.

Duplici

Duplici tantummodo insistam Corollario ad praxim redigendo. Primo probet, exploret, excutiatque semetipsum unusquisque penitius, nec non rimetur interiora conscientiæ penetralia, utrum Christi flagret desiderio nec ne? Quemadmodum Arbor ex fructu dignoscitur, haud secus charitas adversus Christum satis patet ex notis characteristicis. Coroll. 1. Probationis.

Quarum prima est Communio cum Christo: Nemo nescit, quin unio sit Communionis fundamentum. Hinc ἑνότης, ταυτότης, ὁμοιότης, & κατανύξις inter amantem & amatum, tanquam relatum & correlatum, mutuam inter se invicem connotant habitudinem. Hinc ὁ φιλῶ ἕτερῶ σύτος dicitur apud Aristotelem. Atqui Testimonio innitor Apostolico w 1 Joh. 1. 3. *Communio nostra est cum patre & cum filio Jesu Christo:* Quam optime Eliphaz Jobo consuluit, x c. 22. v. 2. *Assuesce quæso cum illo, & pacem habe: In his obveniet tibi bonum.* Quæ verba mihi plane videntur innuere consortium familiare initum inter amicissimos. Quantopere gaudent sancti præsentiâ Christi jucundissima! Cujus solis exorientis jubare dolorum nebulæ fugatæ evanescunt. Unde tantus ardor inter precandum, meditandum, Nota 1. Communio cum Christo. Arist. L. L. 9. Eth. c. 9. w 1 Joh. 1. 3. x Job. 22. v. 21.

tandum, & audiendum sanctis accesserit, nisi quantus ab amoris fonte integerrimi emanaverit? Perpendatur quam serio promissum Apocalypseos [y] c. 3. v. 20: *Ecce sto ad ostium, & pulso, siquis audierit vocem meam, & aperuerit ostium, ingrediar ad eum, & cœnabo cum eo, et ipse mecum.* Unde constat Christum cum active tum passive hospitem futurum unicuique interiorem Cordis januam lubentius aperienti. Adhæc unicum è Bernardo notatu dignum in medium proponam—*sicut mea* (inquit) *non tibi perfecte placent, nisi mecum; sic bonorum tuorum contemplatio reficit nos quidem dulciter, sed non satiat, nisi tecum.*

y *Apocal.* 3.20.

Bern. de Amore Dei c. 1.

Nota 2. Fraterna charitas.

Sequitur Notarum altera, quæ est Fraterna charitas. Johannes, dilectus ille discipulus, præ cæteris de dilectione fusius disseruit, quasi istud τὸ ὑπερκείμενον totius Epistolii venas liberius permeasset. Speciatim ex tantæ messis ubertate aliquot seligenda sunt spicilegia. Consulendus est Apostolus [z] *v.* 14. *c.* tertii—*Nos scimus nos translatos esse ex morte ad vitam, quia diligimus fratres.* Porrò quod prius asseruit, postea premit argumentis validissimis [a] *v.* 11. *c.* 4.——*Dilecti si Deus nos ita*

1 *Joh.* 3. 14.

a cap. 4. 11.

ita dilexit, debemus & nos alii alios diligere. Cui affine est aliud Argumentum è versu [b] *Cap.* 1. *v:* 4. elicitum: *Si quis dixerit, diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est: Qui enim non diligit fratrem suum, quem vidit, Deum quem non vidit, quomodo potest diligere?* Quinimo hocce symbolum ex ore ipsius Christi est quid constitutivum *Johannis* cap. 13. v. 35. *Ex hoc omnes cognoscent vos esse discipulos, si charitatem habueritis alii in alios.* Quocirca requiritur ut in nostris visceribus hortatio Paulina vehementiores infigat aculeos, ad Hebræos [d] *c.* 13. *v.* 1. Ἡ φιλαδελφία μενέτω. [b] cap. 4. 1. [c] Jo. 13. 35. [d] He. 13. 1.

Necesse est (quod Evangelio apprimè futurum est ornamento) ut miserationum viscera induamus, & invicem flagremus uniuscujusque amore ardentissimo; maledicentia, amaritudine, unà cum quibuslibet in sequiorem partem interpretandi methodis, longissimè profligatis, & profligandis.

Addatur jam Notarum ultima, quæ facile audit characteristicarum longe maxima, nempe obsequium paratissimum Christi mandatis cum active tum passive exhibendum. 1. Requiritur obedientia activa. Nota 3. Obedientia. 1. Obedientia activa.

Dantur enim singularia charitatis encomia—Utputa—[e] Τέλος τῆς ἐπαγγελίας ἡ ἀγάπη: [f] Σύνδεσμος τελειότητος. Quem ipse tradit Christus; consulite fidei indubiæ characterem [g] *Joh.* 14. 21. *Qui tenet præcepta, & observat ea, is est, qui diligit me.* Quoties præcipit Christus, toties præcipienti tenemur obsecundare. Quod ipse rogat, apud nos imperii instar æstimandum est, quo magis sive roganti sive imperanti obsequio astringamur alacriori. Secundo requiritur obedientia passiva, si Christus exegerit ejus gratia haud illibenter subeunda. Testor celeberrimam Martyrum coronam, qui Christi causa exquisitissima Tyrannorum supplicia sustinere non erubuerint. Hinc serræ *Isaias*, gladio *Jacobus*, cruci *Petrus*, securi *Paulus*, semetipsos summiserunt. *Laurentius* haud ægrè tulit craticulam; Nec aliquantillum reformidavit *Ignatius* ferarum dentes rabidarum. Necapud me ambigitur, quin Perilli Taurum, Equuleum, Patibulum, Parisiensem lanienam, imo omnia Diaboli terriculamenta facilius aspernarentur, quotquot hoc amore Christi essent inflammati. Quid enim iste ignis *ad octo* relinquet intentatum? Quid non audebit Amor

e 1 Ti. 1. 5.
f Col. 3. 14.
g Joh. 14. 21.

Secundo *Requiritur obedientia Passiva.*

Amor fervidus? Ad nostras partes vocandus est ipse Seneca-

Haud timet mortem,
Cupit ire in ipsos obvius enses. Sen: Trag. Med.

[h] *Omnia sustinet charitas*, testante Apostolo. [h] 1 Cor. 13. 7.

2do Ut alterum summatim conficiam Corollarium de tabula manum illico retracturus, pauciſſimis ad unum omnes quam serio exorandi estis, ut Christum amore, cultu, & veneratione prosequamini. Huc usque redit Præmissarum summa–*Hic Labor, hoc opus est*–Hoc sane est maximi momenti præceptum duobus vocabulis conficiendum–*Diligite Christum.* Diligite Servatorem, Dominum, Deum, Redemptorem, Fratrem, Primogenitum, Caput, Summum Sacerdotem, Misericordem, [i] *Sanctum, ab omni malo alienum, sine labe, separatum à peccatoribus*, pro vobis coram throno gratiæ jugiter interpellantem. Nonne ipsius Amor singularis? Nonne vitæ illibatæ institutum, nonne grumosum desudans sanguinem, cruci affixus, de sepulchro triumphans, & ad dextram patris assidens? Nonne hæc omnia ad Christum amplectendum, colendum, & venerandum vos movebunt & extimulabunt? 2. Coroll. Hortationis. [i] Heb. 7. 26.

Ut

Ut omnia ad umbilicum perducam, tria hominum genera veluti in conspectu Dei affaturus sum. 1. Vos Ministros alloquor, ad istud prægrande munus designatos *per impositionem manuum Presbyterii.* Vosne Christum diligitis? Memores itaque estote moniti [k] *De pascendis agnis & Ovibus ter repetitis* Memineritis vobis prægrande incumbere munus, Evangelium nempe εὐκαίρως, ἀκαίρως annunciandi. Ne quis vestrum ausit inter Academiæ pomæria otiosus delitescere, Pastorali cura vel posthabita, vel vicariæ Mercenariorum heu quantillæ fidei concredita. Absit, absit, ut distinctiones istæ futiles *per se*, vel *per alium*, *semper*, vel *ad semper*, Residentia loci, vel officii unquam apud eos nominentur, qui sanctitatem obtentui habuerint. Dicam vobis rem dictu memorabilem, Concilium vel Tridentinum, alioquin erroribus turgidum, hac ex parte fuisse orthodoxum. Quamvis Romanus Pontifex ad lubitum creaverat quàm plurimos titulo tenus Episcopos, ad ipsius Genium compositos, per ipsos tamen haud steterat, quo minus per majorem suffragantium numerum concluſum esset, —*Residentiam Pastorum esse jure divino approbandam.* Ne

1. Horatio ad ministros.

h *Joh.* 21. 15.

V. Hist. Conc. Tr.

cœca

cœca prematis Anteceſſorum veſtigia, quorum aliquos ſocordiâ colliqueſcentes, Animarum carnifices, juſtiſſimus *Deus* expulit, ejecit, emiſitque. Caveamus itáque ne ipſi eâdem culpâ impliciti eandem luamus pœnam.

Ad Præfectos Hortatio.

Secundo, vos Præfectos alloquor, Patres, & Fratres, num vos Chriſtum diligitis? Itaque Fidem liberate veſtram: Memineritis chariſſima Parentum Depoſita vobis eſſe concredita, quibus ſatis proſpicere haudquaquam valeatis. Ne quis veſtrûm ad inſtar Gallionis, ac ſi harũ rerum nihil ipſi curæ eſſet, auſit cuticulæ indulgere, & turpi conſeneſcere ſomnolentiâ. Vobiſcum ſeriò reputate præ manibus veſtris eſſe pretium, & talenta vobis commiſſa, quæ in ſudario nefas eſſet abſcondere. Per ſaxa, per ignes oportet irrumpere. Quo magis quiſque ſuos viſitaverit, & ad meliorem frugem redigere conatus fuerit, eò minus opus eſſet aliunde accerſenda viſitatione. Quamobrem Vappas, Nebulones profligatiſſimos, Bacchi & Veneris ſacrificulos, è veſtro confinio exterminate; quo ocyus hoc opus aggrediamini, eo melius reliquis proſpectum iri noveritis. Utinam cuilibet Paſtori Idolo diem ocyſſimè migrandi di-

ceretis, ne ex unâ parte plures per incuriam animas interficiat, nec ex alterâ Fundatorum Eleemosynas tenuioris fortunæ Scholaribus suffuretur. Bono estote animo, in bonâ causâ, cum bono Deo.

3. Ad Baccalaureos Hortatio.

Tertio & ultimum vos (Baccalaurei, quos pro tempore filios compellare liceat) pauciſſimis alloquor expiraturus. Christúmne diligitis? Utinam quæ apud Christum & Apostolos traduntur præcepta, altiores in interioribus cordum recessibus radices agerent. Non ex lacunosis Philosophorum placitis, non ex Stoicorum effatis consilia velim eruenda: Quæ autem Christus ipse & Apostoli in præceptis tradiderunt, ad praxin quotidianam redigenda velim.

1 Hortatio ad pacem.

Imprimis pacem ex noviſſimo Christi Testamento Discipulis legatam, necesse est ut sinu foveatis chariſſimo, & (quantum in vobis fuerit) vel fugientem persequamini. Vos quod attinet (uberioris spei Juvenes) memores estote consilii quod Abrahamus Loto nepoti suo impertivit: [1] *Ne quæso sit contentio inter me & te, aut inter pastores meos & pastores tuos, nam fratres sumus.* Nec prætereundam censeo haud exigui momenti rationem, quam Spiritus

[1] Gen. 13. 8.

sanctus

ſanctus indigitaverat; *Chenanæus & Perizæus tunc habitabat in terrâ illâ.* Quis ignorat, quin nunc dierum dentur quamplurimi Chenanæi, qui Academiarum prædiis inhiant, nec non menſas noſtras devorare ſatagunt Harpyarum inſtar, quas fœdârunt prius. Hinc coaxant Ranæ Jeſuiticæ, illinc crocitant corvi Anabaptiſtici, hinc* Wigelii aſſeclæ ut aliquid hæreat, fortiter calumniari didicerunt; illinc præ foribus adſtant Tremuli, Rabularum farrago, qui collatis viribus eandem Serram reciprocant, nullúmque non movent lapidem, ut literæ nec non Literatorum præmia eant peſſundatum. Liberè dicam, quod ſentio, ſi vos inter vos committeremini, haud veſtrum compotes judicandi eſtis. Quorſum iſti tumultus Quadrageſimales? Quorſum de lanâ caprinâ digladiationes? Quorſum procella in ſimpulo? Nolim autem hoc ulcus refricare ulterius, nec eandem movere Camerinam, de vobis meliorem ſpem mihi polliciturus. Utinam omnes ſedarentur affectus, qui appetitui ſubjiciuntur iraſcibili, & ſingulæ ſocietates arctiſſimo amicitiæ vinculo ferruminarentur, ita ut in Anglia Lupum, in Hibernia Bufonem aliquis citius invenerit, quam Campum Martium in Academia Oxonienſi. Se-

* vid. *Præf. ad* Wendelini *Theolog.*

Hortatio 2da ad Humilitatem.

Secundo, ad Humilitatis vestimentum vos adhortor seriò induendum. Ob oculos Frontalium instar ponendum sit præceptum Apostolicum [m] ἡ ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε. *Fundamentum* enim *sanctitatis est humilitas*, Cypriano Judice: Quod à Bernardo accepimus, pæne dixerim Folium Sibyllinum, *Quanto quis* (inquit) *decrescit in despectione sui, tanto amplius proficit in cognitione Dei.* Unde autem ista provenit intumescentis animi ambitio? Unde tanta φιλοψυχία καὶ κενοδοξία? Unde prolixæ cæsariei nutritio pulvere aspersæ odorifero, quæ ad portentum usque creverit? unde effæminati habitus ad instar Phantasmatum & Pupo. rum, quæ communiùs venundantur in nundinis Bartholomæi? Unde (inquam) isthæc nascuntur omnia, nisi ex superbiæ radice fæculentissimâ. Quod si contigerit vel ipsi Aristoteli vestris interesse disputationibus, vestrum quamplurimos haud censeret idoneos Auditores Moralis Philosophiæ, utpote ipso judice potius è Philosophorum scholis quàm citissimè exterminandos.

m 1 *Pet.* 5. 5.

Bern.

3. *Premitur Hortatio Apostoli*

Ultimo, ut periodum jamjam desideratam singulis imponam, tres solummodo versiculos ab Apostolo memoratos ad vestram

ſtram memoriam revocabo ad[n] *Rom.* c. 13. v. 12, 13, 14. *Nox proceſſit, dies autem appropinquat: abjiciamus igitur opera tenebrarum, & induamur habitu, qui luci conveniat, ut interdiu compoſitè ambulemus: non in commeſſationibus & ebrietatibus, non cubilibus ac laſciviis, non lite & invidia, ſed induimini Domino Jeſu Chriſto, & carnis curam ne habete, ad explendas cupiditates.* [n] Rom. 12. 12, 13, 14.

" Faxit Deus Opt. Max. ut in Chriſtum " credamus, Chriſtum diligamus, & Chri- " ſto vivamus, & per Chriſtum juſtificati- " onem, & ſanctificationem in viâ aſſequa- " mur, ut tandem in patriâ æternæ glorifi- " cationis compotes evadamus. Hæc om- " nia à Chriſto obnixè efflagitamus, & " Chriſto accepta referimus, cui cum Pa- " tre, & Spiritu ſancto, ſit omnis honos, " laus, & gloria, in ſæcula ſæculorum, AMEN.

FINIS.